



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

15. Miracula Xauer. in Iapon. Mare de sterili pisculentum. Puer ægrotus
repentè sanatur. Leprosus repentè mundatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

issent. Contigitque non raro, vt Xauerium publico in foro, & frequenti dicentem, vnus aliquis Bonziorum insolentior cæteris, interpellaret impudenter, monens voce contenta populum, Europæo illi ne aures daret; dæmonem esse hominis specie, qui loqueretur, non hominem; cui prudens auditor, homo esset an dæmon parum interesset, verum cuiuscumque ex ore prodiret veritas; excipi, & in bonum conferri oportere.

15

Miracula
Xauer. in
Iapon.

15. Ad hunc populi fauorem accedebat commendatio mirabilium operum quibus seruum suum pergebat Deus exornare, & Bonziorum proteruiam tundere. Ex iis pauca hic noto, vt ea Iapones retulerunt. Singulare id fuit quod mare pridem infœcundum, molestissimo accolarum, qui fermè piscibus vescuntur incommodo, pisculentissimum effecit. Nam piscatorum quandoque in turbam incidens, retia eduentium in littus macra & prope vacua, illorum misertus, ad orandum animum conuertit, inde bene retribus precatus, illa denuò tendi iussit.

Mare de sterili
pisculentum.

Quod ab iis cum esset, eius fide, nutuque præstitum (iam enim homine maior habebatur) vim tantam piscium omnis generis conclusere, vt ægrè in siccum illam perducerent, mansitque sua hæc mari fertacitas locupletior quàm vnquam antea.

15

Puer ægrotus
repentè
sanatur.

15. Infantem filium, ad eum mater detulerat inflatione deformi tumidum ex obstructo pridem humorum decursu; afflictissima parenti, apud eum loco precum fuit misera pueri species. Acceptum inter brachia vitæ sanctus piis teneriter oculis contuens, bis teruè, Deus inquit, tibi benedicat, qua voce de cælo repentiam illi valetudinem, formosam & integram prius exorauit, quàm restitueret illum matri, his & talibus opinor,

15

Leprosus
repentè
munda-
tur.

15. Leprosus in spem venit recuperandæ sanitatis quam frustra ex Medicis, & remediis diu petebat, huic iniecta mens à Deo, salutis eius propitio, vt sanctum Patrem curando corpori acciret: morem gerere vocanti Pater non potuit, grauiori negotio præpeditus, socium mittit cum mandatis, exquirendi ter ab ægrotò, an esset Christum professurus si ab ea lue sanaretur; constanter spondentem se fore Christianum, ter cruce consignaret, persanaret, mox ritè mysteria edoctum sacro baptismate tingeret. Resque in eum, vt dixerat, modum tota cessit. Paciscitur Xauerij socius valetudinem pro conuersione; Leprosus data fide, ter interrogatus toties promittit religionem Christianam; ter cruce signatus repentiè conualescit, eaque omni, momento derasa scabie ram terfo se stupet ac nitido corpore vt vnquam in vita fuisset. Ergo miraculi compulsus ineluctabili fulgore datam fidem exfoluit, & sacro fonte abluitur.

16

Puella ad
vitam reuo-
catur.

16. Illustrius aliud, & ad Christianæ apud eum populum gloriæ incrementum efficacius, ostensum in puella ad vitam ex morte reuocanda. Erat hæc vnicè patri cara, homini ethnico sed nobilitate, & opibus inter suos claro: in flore annorum fato functa, cum patri dolorem attulisset,